



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Toleti S. R. E. Cardinalis Summa Casuum
Conscientiæ, Sive De Instructione Sacerdotum Lib. VII**

**Toledo, Francisco de
Coloniæ Agrippinæ**

13. De inuentione nouitatum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40916

riofitas, quamuis ille talis non manifestet, est mortale peccatum.

Tertiò, cum, vt feiat ea, quæ scire non tenetur, prætermittit scire ea, quæ obligatur scire: vt, si clericus velit scire negotia secularia, prætermittit scire: quæ scire secundum suum statum tenetur. Et denique, cum, vt feiat homo, prætermittit implere præceptum aliquod; vt, qui vt vacet studijs rerum aliquarum non necessariarum, prætermittit audire sacrum in die festo: tunc enim est mortale.

Quartò, cum sequitur scandalum graue aliorum: cum enim ex eo, quod aliquis discere, aut cognoscere vult, quæ non tenetur, dat graue scandalum alijs, graue etiam peccatum mortale est. His omnibus modis committitur curiositas; in quibus octo sunt casus, in quibus mortale peccatum incurri potest: in reliquis veniale est.

De inuentione nouitatum.

CAPVT XIII.

Alia filia inanis gloriæ, est inuentione nouitatum, quam S. Thom. 2. 2. quæst. 133. articul. 5. & alij multi solent nominare præsumptionem nouitatum. Est autem vitium hoc, cum aliquis vult mirabilia aliqua exhibere, vt laudem aliorum comparet; & quia noua mirabilia solent esse, ob id, vitium hoc dicitur inuentione nouitatum. Fit autem hoc tam in dictis, quam in factis: cum enim aliquis noua aliqua facta, & inuisitata facere vult hoc fine, aut nouas opiniones sustinere, & proferre, inuentor est nouitatum. Est autem hoc vitium ex se veniale, nisi aliqua circumstantia mortalis ei adiungatur, puta, quia est contra Dei honorem, aut in notabile detrimentum proximi, aut in finem mortalem, vt diximus de alijs.

Quid inobedientia, & quibus sit obediendum.

CAPVT XIV.

Vltima filia vanæ gloriæ est inobedientia: vt autem, quid sit, rectè percipiatur, opus est scire quid sit obedientia. Obedientia igitur est virtus, quæ promptum facit